DISSERTATIO MEDICA,

INAUGURALIS,

DE

DYSENTERIA.

DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS, DE DYSENTERIA.

QUAM

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

Ex Auctoritate Reverendi admodum Viri,

D. GULIELMI ROBERTSON, S.S.T.P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ Praefecti;

NECNON

Ampliſſimi SENATUS ACADEMICI conſenſu,

Et nobiliſſimae FACULTATIS MEDICÆ decreto;

PRO GRADU DOCTORIS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

Eruditorum examini ſubjicit

JACOBUS BOX YOUNG,

GEORGIENSIS,

SOC. REG. PHYS. ED. PRAES. AN. ET SOC. HON.

SOC. NAT. STUD. PRAES. AN. ET SOC. EXTR.

NEC NON

SOC. CHIR. OBSTET. PRAES. AN. ET SOC. EXTR.

Whatever ills the extremes or ſudden change
Of heat or cold, or moiſt or dry, produce;
They fly thy pure effulgence:
Daughter of Paon, queen of every joy—Hygeia.

ARMSTRONG on Health.

Ad diem 24. Junii, hora locoque ſolitis.

EDINBURGI:

Apud BALFOUR et SMELLIE,

Academiae Typographos.

M,DCC,LXXXIX.

Digitized by the Internet Archive
in 2020 with funding from
Wellcome Library

https://archive.org/details/b31968892

Honoratiſſimo Viro

JACOBO JACKSON,

Suae Sororis marito,

Honores magnos et bene meritos

In exercitu Patriae adepto,

In Senatum Rerumpublicarum

Sociatarum Americanarum,

A Republica Georgienſi electo:

FRANCISCO LEVETT,

ARMIGERO,

Ex Savannah Georgienſi,

Optiſſimo Viro, et

Cariſſimo Amico.

Item,

DONALDO M'LEOD, M. D.

Ibidem, Medicinam feliciter facienti,

Societ. Reg. Phyſicae Edin. Sodali Honor.

Denique,

JOSEPHO CLAY, JUNIORI,

ARMIGERO,

Amico ſuo,

Et a prima pueritia,

Sodali,

Grati tanquam animi

Documentum puſillum,

Ob beneficia plurima accepta,

Has ſtudiorum medicorum primitias

D. D. CQUE

AUCTOR.

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

DYSENTERIA.

DE hoc morbo, quippe calidis terrae plagis maxime gravi, ipſe ſub coelo fervido habitaturus, paucis diſſerere ſtatui.

Hujus variae inveniuntur definitiones, quarum nulla, me judice, totum morbi characterem amplectitur, praeter unam; Culleni nimirum celeber. quae ſequitur: "Pyrexia contagioſa, "dejectiones frequentes, mucoſae vel ſangui-

"nolentae, retentis plerumque faecibus Alvinis,
"Tormina, Teneſmus."

HISTORIA MORBI.

Quam modo dedi definitio praecipua, ſaltem quotquot ad diſtinguendum morbum neceſſaria ſunt, continet ſymptomata; quum vero haec in variis exemplis varia ſunt, has diverſitates nunc exequamur.

Hic morbus frequentiſſimus eſt ad finem aeſtatis, aut initium autumni.

In quibuſdam caetera ſymptomata antecedit pyrexia; aliis vero inteſtina imprimis plus minuſve laborant. Pyrexia praecedente, communia febris eam comitantur ſymptomata, quorum quae hic enumeranda ſunt, partim ad to-

tum

tum ſyſtema, partim ad ſingulas quaſdam functiones, pertinent. Primo illa, tum haec ordine exponam. Æger, ut in febre, tremit, friget, mox auctum ſentit corporis calorem, vires mirum in modum deficiunt, caput dolet, ſitis urget, ſapor ingratus in ore percipitur. Haec ceteraque febris ſymptomata nonnunquam vix evidentia, in aliis graviora ſunt. Quoad naturam eorum nunc inflammatorum febris genus, nunc putredum magis referunt. In quibuſdam graviter affectis, pulſus vix a ſtatu naturali differebat; at, quatuor quinqueve diebus elapſis, intermittere ſubinde ſuas micationes incipiebat.

Symptomata pyrexiae typum ſequuntur nonnunquam intermittentis aut remittentis febris.

Quum gravior morbus invaſerit, extremitates frigeſcunt, pulſus ex naturali vix percipiendus obſervatur. Nonnunquam pyrexia mitior, poſt acceſ-

acceſſionem ſyptomatum huic morbo propriorum, vehementior fit: In aliis exemplis, locali affectione ſuperveniente, pyrexia recedit, ſaepius tamen auctis viribus reditura.

Delirium ſaepe in ipſo morbi limine reperitur; frequentius vero extremi ejus ſtadii comes fit. Quid quod in multis praeſertim pueris coma morbum comitatur.

In nonnullis immenſus erumpit ſudor, vix boni ominis; licet a celebri quodam * auctore aſſeratur, ſudores ſponte ſua erumpentes felicem indicare eventum, arte vero elicitos, vix ſanationem promovere.

Nauſea quoque et vomendi cupido, quin et ipſa vomitio, non raro obſervantur. Rarius materia, ei ſimilis, quam pro faecibus ex alvo fluere,

* Degnor de Dyſenteria.

fluere, infra dicam, ex ventriculo quoque rejicitur.

Dolores quaſi a cholica in abdomine ſentiuntur, quos frequentes flatus comitantur. Paulo poſt alvus conſtipatur; aegrotus tamen ſaepe ſtimulum percipit ad alvum exonerandam, et vehemens teneſmus urget. Diſſentiunt auctores paululum de hac re, et de natura materiae dejectae. Sunt * qui dicant, torminibus vehementioribus exiſtentibus, faeces copioſe et ſpeciei naturalis, excerni. Alii vero †, aegrum alvum exonerare cupientem, perparvam faecum copiam dejicere. Haec ſententia mihi quidem juſtior quam illa videtur, conſideranti non raro conſtipationem alvi jam ab initio urgere.

In quibuſdam initio pituita aut mucus excernitur parva tantum copia; mox autem varios induens

* Blane's Obſervations, part 3. p. 494.

† Cullen's Practice of Phyſic, p. 103. vol. 3.

induens colores, nec raro ſanguine diſtinctus. Sanguis in nonnullis primo jam die dejicitur, ita ut rivulus quaſi per femora deſcendat. Vermes quoque et ſubſtantia ſevum vel adipem referens mucum dejectum comitantur. Quae quoque, ut antea dixi, per vomitum nonnunquam, inter alia ventriculi contenta*, rejiciuntur. Cum muco quoque particulae membranulis ſimiles inventae ſunt, quas quidam pro tunica villoſa inteſtinorum per materiam acrem, conſtanter ex iis ſecretam, abraſa, habuerunt. Quod tamen in dubium vocavit egregius † ſcriptor de hac re; hoc praeſertim argumento: Si hoc ita revera ſe haberet, tunicam etiam ſolvi debere, et forma puris apparere, itaque cum caeteris materiis confundi, ut eas ab his diſtinguendi facultas negaretur.

Phae-

* Degnor de Dyſenteria, § 29. p. 17.

† Zimmerman on Dyſentery, p. 32.

Phaenomenon hic recenſitum ad mucum inſpiſſatum referre, idem cel. auctor mavult.

Quod ex alvo fluit plerumque odorem vix tolerabilem emittit. Symptomata etiam * lienterica nonnunquam accedentia memorantur.

Accedunt interdum ani prolapſus, ſumma cum difficultate reponendi; qua re quoque alvinae excretionis dejectio non parum impeditur.

Morbo perſtante, ſedes frequentiores, non vero copioſiores, fiunt. Tormina aegrum crudeliſſime torquent, non ut antea evacuatione alvi levanda.

Stranguria cum urinae ſuppreſſione vehementi caeteris malis accedit; gravis circa praecordia

* Degnor loc. cit.

dia oppreſſio ſentitur; ſingultus, ſumma cum debilitate miſerandum vexat; ſpaſmi extremitatum ſuperveniunt.

Pueri hoc ſtadio aphthis laborant; adultique multi effloreſcentiam circa abdomen aliaſque corporis partes patiuntur.

Quum morbus ultimum periculi faſtigium attigerit, eruptio obſervatur miliaris: Excretio per anum odorem adipiſcitur graviſſimum, intolerandum, cadaveris foetori proximum.

Tormina nunc remittunt, mox ceſſant, aegerque omni dolore, ut videtur, liberatus, brevi tempore ad umbras confugit.

CAU-

CAUSAE REMOTAE.

In dyſenteria, ut in reliquis morbis fere omnibus, hae cauſae, diverſimode vim ſuam exercent, in turbanda hominum ſalute. Secundum hanc igitur differentiam dividi ſolent in praediſponentes et excitantes, quarum hae, niſi corpore per illas antea ad morbum opportuno facto, vix periculum inducunt, ſi ab illis exemplis diſcedat, in quibus excitantis cauſae vis malignior, ad functiones animalis machinae turbandas, ope alterarum cauſarum non egere videntur.

Illae ſibi relictae, hujus generis morbos, cujus dyſenteria eſt, nunquam gignunt; quippe quarum vis ſola haec eſt, corpus ita ad morbos

quoſdam proclive reddere, ut, cauſa excitante admota, et facilius et citius afficiatur.

In dyſenteria, ſola cauſa excitans, ſpecies quaedam contagii eſſe videtur. Quod, licet a quibuſdam non concedatur, tamen Culleno, aliiſque celeber. ducibus, audacter aſſerere, nullus dubito.

Altera quaeſtio oritur, de qua etiam non conſtat inter ſcriptores, Utrum nempe haec ſola, et ſine ope cauſarum praediſponentium poſſit vires ſuas exercere, an ſemper auxilii indigeat aliarum rerum, e. g. frigoris? Credo equidem, ut ſupra jam quadantenus expreſſi, ſaepiſſime alia una cum contagione ad dyſenteriam formandam contribuere; poſſe vero vel unicam contagionem, ſi ſatis potente natura praedita fuerit, in rarioribus exemplis etiam ſaniſſimorum hominum, effectos ſuos perniciofiſſimos edere. Hoc ideo credo, quod ex obſervationibus

bus compertum habeo, alios quam alii, vehementius ab hoc morbo vexari; eadem domo, hos ab eo affici, illos non affici; quodque hic morbus, cum reliquis contagioſis, hoc commune videtur habere, * ut certus corporis ſtatus ejus effectibus faveat.

Cujus naturae ſit haec vel ulla alia contagio, nec ipſe ſcio, nec, quantum mihi innotuit, ullus alius aut ſervit, aut indicavit. Quae de hac re licet parum certo, tamen veroſimillima ab autoribus habita, a me collecta ſunt, ſequentibus abſolvantur.

Culleno cel. putrida natura hujus contagio † eſſe videtur; dicitque ipſe, habere id poteſtatem,

* Degnor, pag. 34. Sect. 39. Unum etiam ſubjectum prae altero ad hunc vel illum morbi fomitem magis diſpoſitum eſt.

† Vol. 3. pag. 110.

tem, diſpoſitionem in corpore ad putredinem operandi.

Multa ſuadent, hujus morbi contagium, pro contagio habere illis ſimili, quo excitantur febres intermittentes et remittentes. Nam et febris quae dyſenteriam comitatur ſaepe aut intermittentis aut remittentis typum ſequitur; et tempus anni, quo hic morbus et remittentes quas vocant autumnales oriuntur, idem eſt, et uterque morbus non raro ſimul graſſatus eſt; et qui regionem incolunt humilem, nec prorſus ſiccum, nec ex toto aquoſum, utrique ſunt aliis hominibus obnoxiores; et dyſenteria quoque, ut et febris remittens, his quas modo dixi plagis eo certius invadit, quo fuerit coelum calidius; ita ut in India Occidentali (ſecundum illa quae ex amico meo audivi) aeſtate calidiore, uno loco quinquaginta ad ſexaginta Æthiopes ſimul dyſenteria affecti ſint.

Sed

Sed, quum antea dixerim, eſſe quae ad hunc quoque morbum corpus proclivius reddant, horum quae memoratu digniſſima videntur nunc exponam.

Primo, Diverſae coeli tempeſtates plurimum huc conferre creduntur, nec immerito. Nam mutationes aetheris ſubitae, praeſertim quum hic e calido factus ſit frigidus, ex ſicco humidus, ſemper et ab omnibus fere creduntur huic morbo non parum favere. Forſan his tempeſtatibus, ut etiam calidis terrae plagis, perſpiratio augetur, maximam et reſolutionem fibrarum et debilitatem relicturae.

Quod ſi ſubitanea tempeſtatis mutatio corpori ſic conſtituto ſupervenerit, quid mirum, perſpirationem obſtrui, morbum fieri. Certe omnibus obſervationibus conſtat, in nullis partibus terrae hunc morbum frequentius invadere, quam quae ſolis vaporibus uſtae maximam e

ſubito

ſubito frigore injuriam non pati non poſſunt; nullo porro anni tempore, quam in quo frigus ſubitum calorem iniquiorem ſolet excipere; nullis denique diebus, quam quos ſolibus exuſtos, noctes frigidae ſequantur, uno verbo frigus poſt calorem maximos in hac re producere effectus.

In caſtris porro et claſſibus videtur, hoc malum frequentius graſſari. Illic enim et cauſae excitantes ſaepiſſime exiſtant, et multa ad effectus earum producendos, auxilia inveniuntur, praeſertim, variae coeli mutationes, quibus miles aut campeſtris aut claſſarius, ut nec quis alius, exponitur.

Dyſenteria praeſentibus, quas ſaepe memoravi, cauſis excitantibus, a pravis cibi potuſque generibus videtur promoveri. Imprimis veriſimile eſt, aquam corruptam nonnunquam non parum ad hunc morbum inducendum conferre.

Id

Id genus victus inſalubris, quod in uſu ſalſorum, diu ſervatorum, vixque non putridorum, qualibus maxime nautae, militeſque claſſarii utuntur, prae caeteris hac vi peſtifera eſſe praeditum, multi contendunt. Qua re forſan illi ſententiam ſuam ſtruxerunt, qui credunt, in hoc, ut in multis aliis morbis, fluida per totum corpus corrumpi, quod tamen ab aliis hodie aegre conceditur.

Pathemata quoque mentis contagii actionem in Dyſenteria inducenda promovere, nemo eſt qui deneget. Quod ad pathematum vim morbos in genere producendi attinet, hoc nemo hodiernus non facile credet, tam multis tamque rem plane ſtabilientibus, jam de ea re factis obſervationibus.

Ratio autem, qua morbus a pathemate ſequatur, ut omnia quae ad nexum corpus inter et animum pertinent denſis adhuc latet, et for-

ſan

ſan diu latebit, tenebris. Saltem is ego non ſum, qui credam, me ulla cum ſpe felicioris eventus, poſſe ſuſcipere, quod omnis aevi medici conati ſunt, ſemperque re infecta tandem deſeruerunt. Nullum animi pathema plus valere videtur ad Dyſenteriam, ope cauſae excitantis antea dictae, inducendam, aut inductam, aggravandam, quam metus. Quod quidam de morbis contagioſis tantum non omnibus verum deprehenditur.

Auctores* porro debilitatem a morbis praeteritis, ex uſu immodico liquorum ſpirituoſorum, a nimia evacuatione, aliiſque cauſis evidenter debilitantibus, inductam, inter cauſas ad hunc morbum praediſponentes, uno fere ore numerant. Sunt quoque, iique nec pauci, nec parvi nominis, qui hoc loco memorarent, diſpoſitionem fluidorum ad putredinem, de qua re nuperrime acriter inter medicos diſputatum eſt.

* Pringle. Cleghorn.

eſt. Res ejus generis mihi videtur, ut utraque parte multa eaque gravia et poſſint proferri et revera prolata ſint. Equidem penſitates quae et pro hac opinione et contra eam audivi, minime ſcio, in utram ſententiam debeam ire. Movet enim me, ex altera parte, ſumma et Doctrina et ingenium, quae ad notionem veterem refellendam, multi adhibuerunt. Ex altera parte tanta vis maximorum virorum, (quorum auctoritate qui poſſet juvenis reſiſtere, praeſertim in medicina non niſi per paucos annos verſatus) tanta vis rerum factarum, quas illi rem vix non extra dubium ponere crediderunt, et quorum numerus fateor, ut et auctorum ipſorum illuſtrium auctoritas, magnam habet poteſtatem animum meum movendi, ſemperque habebunt. Lite igitur adhuc ſub judice manente, decet me, ut puto, rem de qua certatus in medio relinquere.

Hoc tantum addam, propius me accedere ad illorum ſententiam qui credunt, in certis morbis,

 vulgo

vulgo putridis dictis, inter quos dyſenteriam, ſaltem in compluribus caſibus, refero, diſpoſitionem fluidorum ad putredinem, nunquam vero genuinam putredinem, vita adhuc ſuperſtite, exiſtere.

Reſtat cauſa potenter ad hunc morbum praediſponens, et de qua nullum dubium relinquitur, nimirum, immundities. Patet hujus vis per frequentiam morbi, in locis ubi multi homines diu anguſte conglomerantur, praeſertim ſi facultatibus careant, propter paupertatem aut alias res munditiem, ea, qua par eſſet, diligentia curandi; patet, e felici eventu, qui ſequitur curatiorem munditiei rationem habitam, et in morbo evitando, et, ſi quando exſtiterit, ſanando. Nec deſunt quae veriſimile reddunt, ipſum contagium dyſenteriae per aëra, non ut decet, renovatum, aliaſque immunditiei ſpecies, nonnunquam gigni.

Quum

Quum dyſenteria crebro invadat, eo anni tempore, quo et bilis frequenter affici, obſervatur, multi bili, ſed inique, ni fallor, vim tribuerunt morbi inducendi. Nam *, ſi hoc ita eſſet, nonne rationi conſentaneam eſſet putare, ſaepe per diſſectionem poſt mortem, jecur aut partes vicinas, debere inveniri affecta ? Nonne profluvium dyſenteriam comitans eſſe certi coloris ſemper et ſpeciei ?

Attamen † quum ex altera parte cholera ſymptomatis dyſentericis ut plurimum careat ; ex altera vero, ſymptomata morbi de quo nunc ago aliquando viſa ſunt levata per copioſas bilis dejectiones ; difficile eſt judicatu, quiſnam ſit nexus bilem inter et dyſenteriam.

Pro

* Sir John Pringle, Diſeaſes of the Army, p. 257.

† Cullen's Practice, p. 187.

Pro cauſa hujus illam eſſe habendam, propter illa quae ante memoravi, minime credo.

Olim multi crediderunt cauſam vel ſolam dyſenteriae eſſe, uſum immodicum fructuum horaeorum, praeſertim immaturorum. Facile autem eſt inveſtigare unde hic fluxerit error, nimirum ex ſimile de tempore anni, temerario judicio, ac illud fuit, quod monſtravi, primariam praebuiſſe anſam ad bilem injuſte accuſandum. Cadit enim tempus anni ubi dyſenteria maxime apparet in ipſos illos autumni limites, in quibus fructus matureſcere incipiunt. Porro, cum fluxus alvi auctus ſaepe uſum illorum fructuum ſolent ſequi, non mirum eſt homines, cauſam tanti mali inveſtigare cupientes, in hanc ſuſpicionem incidiſſe. Sed, quum vera et, ni fallor, ſola cauſa nunc pateat, non neceſſe eſt ad alteram confugere. Quinetiam ex multis obſervationibus elucet, tantum abeſſe ut fructus horaei, ſive maturi, ſive immaturi, hunc morbum unquam induxerint,

duxerint, ut, e contra, illos ipſos, in caſibus recentioribus mitioribuſque, praeſentiſſimum dyſenteriae auxilium fuiſſe, compertum ſit.

CAUSA PROXIMA.

Varias varii Profeſſores et ſcriptores medici de hac re ſententias inierunt.

Fuerunt qui crediderint cauſam proximam hujus morbi eſſe conditionem acrem bilis, per cauſas remotiores effectam, inteſtina irritantem, et ſic dyſenteriae ſymptomata creantem.

Alii, quoad ultimam hujus ſententiae partem, nimirum, irritationem inteſtinorum per materiem quandam acrem, cum his, quos modo memoravi, conſenſerunt; diſſenſerunt vero de natura hujus materiae, quam in ſanguine exiſtere,

a contagio oriri, totamque maſſam corrumpere, ſibi perſuaſerunt.

Monroius, Profeſſor noſter celeberrimus, in ſuis de anatomia, &c. praelectionibus, nos docet, quod, ſi quis inteſtina per materiam quamvis eroſa pro cauſa dyſenteria proxima habeat, per hanc doctrinam omnia ſymptomata melius, quam per quamlibet etiam adhuc pervulgatam notionem, poſſint explicari. Quam lubenter cum viro tam illuſtri tantaeque auctoritatis hac de re conſentirem! Et profecto extemplo ad ejus vexilla profugerem, niſi viderer mihi aeque auctoritatem, magis forſan adhuc res factas ſequi, dum opinionem egregii noſtri Profeſſoris Culleni nempe meam facerem. Is enim, conſtrictionem coli ſaltem pro maxima cauſae proximae parte habens, ſecum ea de re ill. Gregorio gaudet conſentiente. Hujus verba ſeq. citare liceat, praelectionibus Clinicis deſumpta. "It is probable that a ſpaſmodic conſtriction

"con-

" conſtitutes a great part of the proximate " cauſe. Its exiſtence as a cauſe of the " diſeaſe is, I think, rendered highly pro- " bable from diſſection, and from the ſcybala " that are paſſed during its courſe."

Inſignis quidam ſcriptor *, in libro nuper edito, cum ſuſcepiſſet, magni illius medici Sydenhami ſententiam de hac re defendere, nimirum, " Febrem hunc morbum eſſe ſui ſcilicet " generis in inteſtina introverſam," ſequentia monet : Obſtructionem perſpirationis, aut magnam inflammationem aut ingentem debilitatem, cum plethora in corpore efficere. Fatetur, ſe non poſſe explicare, cur in inteſtina potius quam in pulmones, aut aliam quamvis partem corporis, haec plethora dirigatur ; tamen pergit aſſerere hanc eſſe proximam morbi cauſam. Utrum talis

* Moſely on Tropical Diſeaſes.

talis ſententiae fautor omnia per illam poſſet ſymptomata explicare, nec ne, nequeo judicare. Pro me, ut antea dixi, Culleni cel. Doctrina mihi prae omnibus arridet.

DIAGNOSIS.

Non difficile erit dyſenteriam a quovis alio morbo rite diſtinguere. Non enim, ſi diarrhoeam forſan et choleram excipias, ullus alius morbus hunc ita ſimulat, ut hac ſimilitudine vel minime medicinae periti decipi poſſint.

Ad diarrhoeam diſtinguendam haec ſufficient. Nulla plerumque ſtipatur primaria pyrexia, quae dyſenteriam tantum non ſemper comitatur. Quae in nonnullis exemplis in diarrhoea obſervatur febris, aut ad morbum non pertinet, aut

mere

mere ſymptomatica eſt, nec niſi poſtquam aeger aliquamdiu jam laboraverit, accedit.

Profluvium alvi, quod diarrhoeae praecipua pars eſt, multum diſcrepat a teneſmo ſine evacuatione faecum naturalium, quem dyſenteriae ſymptoma eſſe diximus. Neque diarrhoea contagioſa eſt, ut dyſenteria.

Vix igitur, ut hos duos morbos ab invicem ſejungamus, aliud quid neceſſarium erit, niſi ut utriuſque definitionem alta mente repoſtam teneamus, et rite applicemus.

Fatendum eſt, choleram in quibuſdam dyſenteriam ſimulare videri. Quod ſi vero ad diverſam evacuationum naturam attendamus, vix in errorem perducemur. Hae enim in cholera multum ab iis differunt, quae dyſenteriam comitantur, et evidenter praeſertim colore, bilioſam naturam produnt. Neque in cholera adeſt

pyrexia; et, ſi cauſas remotas ſpectare velis, cholera ſine contagio, ſolo calore, oriri ſolet; aut forſan per frigus calorem excipiens, obſtructa perſpiratione.

PROGNOSIS.

Haec in tam diro morbo ſaepe incerta, interdum peſſima eſſe debet.

Quum vero alvus frequentius dejiciat, praeſertim poſt adhibita medicamenta, et fluxus faecibus naturalibus magis appropinquet; cum tormina minus quam antea torqueant, et faeces ſine ſanguine ſint; cum vomitus non tam frequentes invadant, nec vires multum deficiant; tum de aegro bene ſperandum erit.

At,

At, e contra, magna virium diminutio, crebra et vehemens vomitio, ſingultus, pyrexia typhum referens; evacuationes alvinae numero auctae, copia imminutae cum earum foetore inſolito; hae tandem contra voluntatem factae, tormina crudelia et teneſmus in dies creſcentia, facies pallida, pulſus debiles, deliria, tumor abdominis, aphthae vel dolor faucium, eruptio miliaria, vibices per totum corpus, contractiones ſpaſmodicae, animi deliquium, extremitates frigentes, haec omnia, ſi quando accederint, infelicem eventum portendunt, et vix ſpem ſalutis relinquunt.

In initio tamen morbi, ſingultus non adeo metuendus eſt; ſed, ad finem morbi, indicium videtur eſſe ſphaceli.

In pueris peſſimum eſt nervorum contractio ſpaſmodica (ait Zimmerman) quae brevi eos omni ſenſatione orbat.

METHODUS MEDENDI.

Conſilia curatoria haec ſunt :

1*mo*, Materiam morboſam ex inteſtinis expellere.

2*do*, Levare irritationem.

3*tio*, Vires ſuffulcire, et pugnare contra diſpoſitionem ad putredinem.

Ad primam indicationem exequendam, cathartica et emetica ſunt adhibenda.

Cathartica.—Horum acerrima olim data ſunt ; ſed experientia docti de eorum peſſimis effectibus, hodierni non niſi mitioribus utuntur.

At

At licet de hac re conſtet inter medicos, tamen diverſae ſententiae obtinuerunt de illis medicaminibus catharticis ex claſſe mitiorum, quae omnium optime effectus optatos praeſtare valerent.

Degner, in ſuo libello, rhabarbarum et ſalem tartari maximis laudibus proſequitur. Appellat enim divinum potius quam humanum remedium. His potiſſimum in curatione fretus, toti morbi tractationi finem imponit adhibendo decoctum ſemaroubae. Quod ſi remedia magis roborantia, et vi magis aſtringenti praedita, neceſſaria fuerint, confugit ad caſcarillam, corticem Peruvianum, et terram Japonicam, ad tormina levanda adhibet ſalopium, uſumque opii et aſtringentium praematurum graviter vituperat.

Initio morbi ſanguinis detractionem commendat Huxham *, propter febrem leviorem gravi-

oremve,

* De aëre et Epidemicis.

oremve, quae nunquam non comitatur, et emeticum ex ipecacuanha, cum rhabarbaro ad alvum ciendum. Hoc enim catharticum pro optimo habet. Ad vermes, ſi qui adſint, fugandos, laudat calomelas. Quid enim, ait, ſperandam, dum hoſtis in imis inteſtinorum partibus latet? Praeparata opii, ad mitiganda tormina et iritationem minuendam, idem auctor proponit, ita ut decoctum Fracaſtorii, ad fluxum humorum nimium cohibendum, et per totius morbi decurſum, diluentia.

Pringelius quoque rhabarbarum laudat; hoc vero melius vim ſuam exercere, cum paucis calomelanos granis commixtum. Sic mixtum hunc vix unquam fefellit.

Vitrum ceratum antimonii, a Cleghorn aliiſque tam celebratum, hodie fere negligitur, tanquam catharticum. At * autor quidam, indicatione

* Moſely on Tropical Diſeaſes.

catione facta ut fiet diaphoreſis, praeparata anti-monii hunc in finem miris effert laudibus.

Longum eſſet et inutile, omnia quotquot hujus claſſis laudata ſunt medicamina, hic enumerare.

Illa igitur tantum hic proferam, quae mihi ad indicationem noſtram exequendam accommodatiſſima videntur.

Plerumque ſalis neutri aut oleum ricini ſufficiunt. Haec vero, quum votis minus reſponderint (ut interdum non reſpondent) tum ad alia certioraque confugiendum. Sal. cathart. amarus dari poteſt quantitate ſolita; vel, ut ſuadet Profeſſor noſter celeberrimus Cullenus, adhibeantur certis interſtitiis parvae tartari emetici portiones; hoc enim ille praeſtantiſſimum remedium invenit.

Fructus tamarindorum, cum propter vim laxativam, tum ob poteſtates antiſepticas, multi commendarunt. Vereor autem ne, ob acidum eorum, unum ſaltem augeretur ſymptoma, nimirum torminum.

Enema * emollientia ſaepe valde proſunt, ut nimo cauſam proximam qui conſiderarit, ibit inficias. His ſi addatur anodynum, depelletur quoque teneſmus et irritatio circa rectum, ſpaſmuſque et tormina cedent. Ad tormina levanda, epiſpaſtica laudata ſunt, nec non fotus frequenter abdomini applicati.

Emetica.—Haec poſtulare videntur quae adſunt nauſea et vomitus ſpontanea. Quorum certiſſimum tartarum emeticum adhibeatur; et poſt bibatur decoctum chamomelae florum ſaepius, ut ejus effectus promoveatur. Fatendum tamen

* Sydenham et Zimmerman.

tamen eſt ipecacuanha quoque hunc effectum et poſſe producere, et revera produxiſſe; et utile quoque eſſe, ut antea dictum fuit, ad determinandum ad ſuperficiem. Videtur vero tartarum emeticum has vires majori gradu poſſedere.

Sunt qui utrumque mixtum hac ratione laudaverint.

℞ Pulv. ipecac. ℈j.
Tart. emet. gr. ij.
Ft. bol. cum ſyr. com. aut ſolv. in aq. font. q. ſ.

Hoc, licet minime neceſſarium, utile tamen eſſe poteſt; quippe quum noverimus multa ejuſdem naturae medicamina inter ſe juncta, effectus ſuos majori vi praeſtare, quam ſeparatim data.

Hac ratione primam implemus indicationem; pergamus ad alteram, levare irritationem.

Haec irritationis ſymptomata ſponte quaſi ſua ad opii praeparata ducunt. Id vero utinam non aliquando maturius fuerit exhibitum, quam tutum eſſet.

Praeter haec, liquores demulcentes oleoſi magna copia ſumendi; nec non proderit pro enemate injeciſſe mucilaginem gummi Arabici.

Omnium autem inſtar ſunt ſupra laudata remedia ex opio confecta, quippe quae, tanquam per magicam, tormina extemplo removent.

Quidam, non ſine cauſa, me judice, contra haec objicerunt, ea, pro tempore quidem mitigare ſymptomata, ſaepe vero conſtrictionem augere;

gere;

gere; danturque exempla, in quibus deflendos ediderint effectus praemature adhibita.

Non abs re erit hic commemorare remedium, a Dr Clark, Doctore Gregory fortiter commendatum. Ille aſſerit, calomelas ſe vidiſſe ſaepiſſime et chronicam et acutam ſanare dyſenteriam, cum in adultis, tum in pueris. Hoc cum amicis communicavit, a quibus felici cum eventu adhibitum fuit remedium, morbo non redeunte, quod tam frequenter poſt caetera remedia fit. Adhibendum ita eſt, ut caveatur, ne purgatio fiat; ſimul vero ac os afficitur et ptyaliſmus inducitur, morbus diſparet. Nauſea et febre urgentibus, bolum exhibuit ex tart. emet. gr. ſſ. cum gr. v. calomel. addito pauxillo opii, hora ſomni. Si poſt bolorum uſum remedii g. xxx. ad xl. fuerint ſumpta, et faeces naturales non ſequuntur, tum ſine opio adhibendum, tantaque copia, quanta ſatis fuerit ad purgandum aegrum,

grum, ſicque finitur plerumque ſanatio. Vidit ille effectum hunc a xij. gr. ſequentem, quamvis plerumque triginta aut quadraginta opus ſit. Objectum eſt, et juſte, irritabilitatem magnam exiſtere inteſtinorum. Attamen ſe illud remedium non adhibuiſſe, niſi in exemplis chronicis, iiſque acutis, quae reſtitiſſent aliis medicaminibus, nec malum effectum ejus uſum excepiſſe.

Quum igitur tantae ſint laudes hujus remedii, et a tam laudato viro tributae, oportet id tentare in regionibus iis, ubi morbus tam lethalis eſt. Quod ſi ibi quoque ejus uſum tam boni ſecuti fuerint effectus, munus erit nobiliſſimum medicis traditum.

Utile eſt ſanguinis curſum ſuperficiem verſus dirigere. Quamvis priore hujus diſſertationis parte dixerim, Degnor autore, perſpirationem arte elicitam raro prodeſſe, tamen contrarium

aliquando

aliquando experientia ſuadere videtur. Hunc igitur ducem ſequentes, nos quoque huc confugere fas erit. Multa ex medicaminibus ſupra ad priores indicationes exequendas commemoratis, effectum edunt in ſuperficiem corporis aeque ac in ventriculum et inteſtina. Notum enim omnibus eſt quanta obtinet, ut aiunt, ſympathia inter ſuperficiei vaſa et ventriculum, unde emetica poſt primarios effectus plerumque diaphoreſin gignere videmus. Quam in multis morbis ſalutiferam, in hoc quoque prodeſſe, de quo agitur, non mirum eſt, quippe inter cujus cauſas remotas numeranda ſit diminuta perſpiratio.

Tartarum emeticum, ad ſudorem eliciendum adhibitum, nonnulli credunt, propter magnas ejus vires, in calidis regionibus ſaepe nocuiſſe; ibi enim ſyſtema valde eſſe irritabile.

Hi vero pulverem Jacobi, aliave antimonii praeparata, illi pulveri ſimilia putant, quoties in haec acidum ventriculi egerit, eaque actuoſa fecerit, tutius multo eodem tendere.

Novimus tamen, experientia docti, tartarum emeticum parvis doſibus datum et ſuperficiem verſus ſanguinem derigere, et hoc ſatis tuto perficere.

Ut irritationem ab his medicamentis evitemus, addendum erit opium, et, poſt diaphoreſin jam inductam, in ejus uſui pergendum. Quo remedio, cum vino antimonii conjuncto, jucundius ne quid aut melius inveniri poſſit, multum dubito.

Ipecacuanha, ſive parvis doſibus adminiſtratum, ſive tanta copia, quanta opus fuerit ad vomitum ciendum, optime quoque effectum ad ſuper-

ſuperficiem determinandi edet. Quod remedium ſemper ſequi debet uſus potus tepidi, qualis eſt vinum cum aqua permiſtum, ut et infuſum ſalviae, &c.

At vires quoque fulciendae ſunt, et putredini obvium eundum.

Vires hoc in morbo mire deficiunt; igitur, purgatis primum ventriculo et inteſtinis, et faecibus naturalibus dejectis, ſtatim ad remedia tonica et aſtringentia confugiendum. Numerus immenſus pene medicaminum hujus generis mentem practici non parum diſtrahit; me judice, mitioribus incipiendum, et poſtea ad fortiora procedendum; qualia ſunt, cortex quercinus, alumen, gummi kino, &c. rhabarbarum in hoc ſtadio forſan multum proderit, ita ut julapium ſiſtens noſtri noſocomii.

Cortex

Cortex Peruvianus mire laudatur ab his, damnatur ab aliis. Concedendum tamen magnos et bonos eum edidiſſe, in hac morbi parte, effectus, ita ut ſalus nonnunquam mox fuerit reſtituta.

Hinc mihi commendandus videtur, praeſertim additis guttis aliquot elixir vitriolici. Vinum rubrum quoque adhibendum, quippe quod remedium nobiliſſimum eſt, ut ex ejus effectibus tam bene notis in omnibus morbis a debilitate pendentibus conſtat.

Imprimis, in ultimo dyſenteriae ſtadio nunquam omittendus. Quin et fructus maturi et acida concedenda; et aër purus admittendus, cum mutatione cibi; nam per morbum hic debet leviſſimae indolis, et facilis concoctu eſſe. Et diluentia libere et magna copia praeſcribenda. Vix neceſſe erit monere, quantam medici

atten-

attentionem ſibi vindicat in hoc morbo omnis generis mundities. Strata lecti pariter ac induſia, quibus aegri veſtiuntur, vix non quotidie oportet renovare. Prae omnibus autem hoc notandum, ut quam citiſſime omnia corporis excreta, cum vaſis, quae illa continent, extra cubiculum aegroti eliminentur, neque vaſa, niſi prius omni cura purgata, rurſus admittantur.

Atque ſic diſſertatione ad finem perducta, nihil reſtat, niſi ut gratias optime meritas agam hujus Academiae Profeſſoribus, quorum curae et peritiae in ſua cujuſque medicina parte juventutem docenda, ſemper memoria apud me vigebit. Data autem occaſione, non poſſum,

quin hic quoque celeb. Al. Hamilton, M. D. in hac Academia artis obſtetrici Profeſſori, pro ſuis erga me maximis beneficiis, praecipuas, quae debentur, gratias publice tribuam.

F I N I S.

CORRIGENDA.

Pag. 3.	*l.* 9.	*lege* inflammatorium
4.	1.	ſymptomatum
6.	3.	rivulis
9.	8.	diſcedas
11.	9.	ſcivit et *l.* 10. certa
14.	10.	exiſtunt et *l.* 13. claſſiarius
17.	18.	certatur
19.	5.	conſentaneum
20.	7.	ſimili
22.	6.	dyſenteriae et *l.* 8 aliam *pro* etiam
29.	11.	ſimaroubae
30.	6.	ſperandum
32.	7.	nemo
33.	5.	poſſidere
35.	4.	Doctori
38.	7.	dirigere et *l.* 11. uſu